



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XVI. De Libertate Voluntatis Divinæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

## DISPUTATIO XVI.

DE

## Libertate voluntatis Divinæ.

Idem certum est, in DEO dari liberum arbitrium, quo liberrimè decernit, & producit alia extra se, veluti testantur plurimi scripturæ textus, ut psal. 93. *DEVS ultionum liberè egit.* Matth. 20. *Non licet mihi, quod volo facere?* &c. Nimirum libertas arbitrii, *Divinum quid præfulgens in anima, tanquam gemma in auro,* teste S. Bernardo in Cant. perfectio est simpliciter simplex, & maxima naturæ rationalis dignitas. Sed neque Divina voluntas aliter creaturas velle potest, quam prout habent cum sua bonitate ceu formali obiecto connexionem; atqui creaturæ actuales non habent necessariam connexionem cum bonitate Divina; hæc quippe & erat ante mundum, & adhuc esset in eodem flore suæ infinitæ perfectionis, quamvis nullis extantibus creaturis: ergo Divina voluntas creaturas actuales liberè vult. Patet etiam à posteriori: quia si DEUS ageret ex necessitate, faceret de facto, quæcumque posset: hæc autem nec facit, nec facere potest: ergo. Et hæc quidem sunt expedita: gravis tamen est, & aliquorum Judicio omnium difficillima Theologiæ quaestio, quid actus liber ad necessarias perfectiones superaddat, sive per quid à necessariis distinguatur?

## ARTICULUS I.

*An libertas Divinorum decretorum intrinsecè compleatur per aliquid creatum?*

## SUMMARI A.

1. *Aperitur status difficultatis.*
2. *Sententia de additione perfectionis modalis supra actum necessarium reprobatur.*
3. *Aureoli denominatio extrinseca rejicitur.*
4. *Capreoli respectus rationis refutatur.*
5. *Complementum intrinsecum ab actione vel effectu creato petitur.*
6. *Impugnatur ex natura perfectionis vitalis.*
7. *Ex circulo vitioso.*
8. *Ex natura liberi secundi.*
9. *Ex prioritate libertatis Divinæ.*
10. *Responsio enervatur.*
11. *Ex paritate volitionis.*

## §. I.

*Varia Authorum sententia discussæ & rejectæ.*

1. Status propositæ difficultatis in eo consistit, quod duæ propositiones sibi in speciem contradictione oppositæ sint conciliandæ; quarum una est: *aliquid Divinum DEO intrinsecum & identificatum posse non esse: altera: nihil Divinum DEO intrinsecum & identificatum posse non esse.* Nam actus DEI liber ex essentia actûs liberi habet, ut potuerit non esse. Actus DEI liber ex essentia actûs Divini vitalis habet, quod sit DEO intrinsecus; ergo aliquid DEO intrinsecum potest non esse. Rursus: nihil identificatum DEO potest aut potuit non esse; quidquid est intrinsecum DEO, est identificatum cum ipso, nisi velis constitutare DEUM compositum, & conflatum ex creatis perfectionibus, quod alibi rejecimus: ergo nihil DEO intrinsecum potest non esse.

Ut hanc discordantiâ in concordia revocarent, 2. dixerunt aliqui primò: Liberum Divinæ voluntatis actum supra necessariam perfectionem actûs, addere quandam perfectionem realem saltem modaliter distinctam; quæ absolute potuerit non esse, eò quod tantum dicat perfectionem secundum quid. Sed hæc sententia rejecta manet ex iis, quæ de immutabilitate & simplicitate DEI diximus, quam omnis creatæ formæ intrinseca receptio dehonestat. Stat etiam in contrarium Concilium Rhemense in Symb. fid. definiens, *non esse aliquas res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, aut unitates dicantur, in DEO, quæ non sint ab æterno, & non sint DEVS.* Tandem sive illud superadditum sit absoluta, sive modalis, sive perfectio simpliciter, sive secundum quid. Vel est quid creatum, vel Divinum? si creatum; ergo facis DEUM compositum, & intrinsecè perfectibilem per aliquid creatum. Si Divinum; ergo quod est entitativè DEUS, potuit esse nihil: & quod est nihil, potuit esse DEUS, quod est sanè, ut inquit Jo. à S. Th. *horribile inconveniens.*

Secundò Aureolus è diametro oppositus in 1. 3. dist. 45. q. 1. docuit, actum liberum formaliter constitui per denominationem extrinsecam ab actione transeunte, & creaturas ad extra immutante. Sed neque ista sententia scopum tangit: quia primò libertas est perfectio simpliciter simplex, DEUM intrinsecè denominans, & liberè velle est actus DEI immanens, præsuppositus omni productioni ad extra. Ideo enim dixit Paltres Reg. psal. 17. *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* & psal. 113. *omnia, quacunque voluit,*

*Dominus fecit*: ergo hæc denominatio à forma DEI extrinseca provenire non potest. Secundò ista sententia comittit vitiosum circulum, dum per ipsam liberè DEUS vult creaturas, quia liberè sunt futurae, & tamen ideo liberè sunt futurae, quia DEUS illas liberè vult.

4. Alii tertio cum Capreolo, Ferrar. Marco Serra hic docent, quòd actus liber superaddat ad necessariam perfectionem respectum rationis, per quem terminatur ad creata objecta. Sed vel accipis respectum rationis formaliter, vel fundamentaliter. Si formaliter, contra est vulgaris illa difficultas, quâ ratione perfectio DEO intrinseca, realis, æterna, per nostri intellectus figmentum, in quo ens rationis formaliter consistit, possit constitui & salvari. Si fundamentaliter, manet antiqua difficultas, siquidem hoc fundamentum est quid increatum & Divinum: quomodo igitur à DEO abesse potest?

## §. II.

*Refutatur intrinsecum complementum à connotato extrinseco.*

5. Communior hoc tempore & quarta RR. expositio est, decretum DEI liberum intrinsecè compleri per connotatum reale DEO extrinsecum; sive illud sit effectus productus, sive potius ipsa productio, & dependentia effectus. Ita Vecken, Dercken, Rosmer, Erhardt, in thesibus.
6. Sed contra hanc opinionem est primò, quòd libertas formaliter est perfectio vitalis & increata DEI; sed implicat, ut per aliquid creatum intrinsecè compleatur & constituitur perfectio formaliter increata, & per aliquid extrinsecum perfectio intrinseca & vitalis: ergo implicat, ut libertas vitalis & increata DEI intrinsecè compleatur & constituitur per productionem passivam, seu dependentiam creaturæ, quæ est aliquid creatum & contingens extra DEUM.
7. Secundò, hæc expositio non evitat vitiosum circulum Aureoli. Etenim illa productio ad extra & executio Divinæ voluntatis, unde habet, quòd sit contingens & libera, nisi à Divina voluntate? Si enim DEUS necessariò vellet mproducere, eundem quoque necessariò produceret. Et rursus: per te ideo DEUS vult liberè, quia liberè producit.

Unde tertio: omne liberum creatum est liberum secundum, fundatum in libero primo; sed productio rerum est liberum aliquod creatum: ergo fundatur in libero primo, illudque præsupponit, non constituit.

Quartò: In illo priori, quo liberum decretum DEI causat liberam productionem creaturæ, continet formaliter eminenter omnem libertatem productionis, aut cujuscunque effectus creati. Ergo in & pro illo priori non potest formaliter compleri per productionem creaturæ. Ex quo ruit illud consuetum argumentum è regula partium tanquam è Foliis Sibillæ descriptum: id ad intrinseca rei pertinet, quo præcisè addito res est, & solo sublato non est. Ex quo inferunt: sed postri præcisè actione productivâ objecti, est formalis denominatio liberi, eâ sublata non est: ergo, Quidquid enim sit de majori, de qua Philosophi viderint, inverto argumentum, & dico. Id ad intrinseca rei non pertinet, quod in aliquo priori formalem & intrinsecam ipsius denominationem supponit, & ab illa in signo posteriori accipit: sed productio creaturæ in signo priori supponit intrinsecam & formalem denominationem libertatis in DEO, eamque in signo posteriori habet dependentem à libertate Divina: ergo.

Neque satisfacis, si dicas, libertatem Divinam inadæquatè & specificativè, non adæquatè & reduplicativè acceptam præsupponi à creata productione. Nam contrà est, quòd tota & adæquata imò & reduplicativa ratio libertatis non aliter sit in creaturis, quam per participationem: sed liberum per participationem per prius continetur in DEO, ceu primo libero: ergo & reduplicativè & adæquatè præsupponitur libera voluntas DEI, quam concipiatur libera productio creaturæ.

Quintò. Libertas non minùs est prædicatum, absolutum, quam actus & volitio; sed per ad-versar, actus & volitio sunt perfectiones DEO adæquatè intrinseca absque objectivo complemento extrinsecè intrinseco, aut intrinsecè extrinseco: ergo etiam libertas. Imò videtur esse implicitantia in terminis, ut aliquid formaliter intrinsecum quâ tale constituitur, vel compleatur per aliquid formaliter extrinsecum: cum ergo libertas, ceu perfectio simpliciter simplex sit DEO formaliter intrinseca, nec adæquatè nec inadæquatè constitui vel compleri poterit per aliquid extrinsecum.

## ARTICULUS II.

*In quonam libertas Divina adæquatè consistat?*

## SUMMARIUM.

1. *Definitio libertatis.*
2. *Differentia inter libertatem creatam & incretam.*
3. *Indifferentia libertatis Divinæ, non est passiva, sed activa & actualis.*
4. *In quo adæquatè consistat?*
5. *Inductiva rejectio aliarum explicationum.*
6. *Terminatio actus liberi potius non esse objectivè, non subjectivè.*
7. *Nilominus contingentia activa est liberi decreti subjectiva perfectio.*
8. *DEVS non potest velle in tempore, quod ab æterno noluit.*
9. *Terminatio intrinsecè defectibilis impugnatur.*
10. *Voluntas Divina non potest esse suspensa ab omni decreto.*
11. 12. 13. *Solvuntur objectiones.*

## §. I.

*Explicatio Libertatis.*

**H**is aliisque modis dicendi relictis, Advertenda est Definitio libertatis, & notabiles differentia, quæ inter incretam, creatamque intercedunt.

ant. Rectè igitur libertas definitur: *Dominium sui actus ad opposita*, ubi primò per ly *Dominium* significatur potestas cuiusdam indeterminationis & independentiæ ab objecto, circa quod agens liberum versatur. In eo quippe liberi agentis operatio ab agentis necessarii operandi modo differunt, quòd illius potentia & vis operandi ita adæquatur ab objecto proposito, ut non sit in manu ipsius, illud objectum respicere, aut in oppositum divertere, dum e contra agentis liberi facultas non ita adæquatur ab objecto proposito, neque ab ejus attractione ita subigitur, quin vel ipsi resistere, illudque deferere (quæ est libertas exercitii) vel ad oppositam partem (quæ est libertas quoad specificationem) se determinare possit. Secundo per ly *sui actus* significatur velle & nolle, qui sunt actus liberi arbitrii, per quos suam indifferentiam circa objectum exercet. Tertio dicitur *ad opposita*. Ubi indicatur objectum & terminus libertatis, quæ sunt opposita vel contradictioni, ut esse vel non esse objecti (æque terminant libertatem contradictionis, seu quoad exercitium) vel opposita contrariè, ut bonum & malum, quæ pertinent ad libertatem contrarietatis.

2. Porro in libertate creata reperiuntur aliqua ad perfectionem, aliqua ad imperfectionem spectantia. Ad perfectionem pertinet indifferentia independentiæ ab objecto volibili, & excessus supra bonitatem ipsius. Secundo vis activa & determinativa ad objectum, quæ constituit ipsa sibi objectum volitum, vel nolitum, ut tamen potuisset pro volito nolitum, vel pro nolitum volitum consistere, quæ rectè etiam vocatur indifferentia activa seu terminativa. Ad imperfectionem pertinet primò indifferentia ad actus contrarios, hoc est velle & nolle, & ad objecta contrariè opposita, nempe bonum & malum. Nam indifferentia ad actus oppositos consistit cum carentia utriusque actus, adeoque est indifferentia privativa per modum actus primi & puræ potentie ad utrumque actum, quæ omnia dicunt imperfectionem & potentialitatem. Indifferentia quoque ad bonum & malum oritur ex imperfectione naturæ, quæ cum sit creata ex nihilo, potest in operando deficere à debito ordine finis. Secundo ad imperfectionem libertatis pertinet indifferentia subiectiva seu passiva, quæ voluntas indifferens est ad habendam intrinsecè, vel non habendam entitatem actus liberi; ipse quoque actus secundum suam intrinsecam entitatem posset non esse, quæ contingencia passiva oritur ex intrinseca mutabilitate & defectibilitate creaturæ.

3. Cum ergo perfectiones creatae non nisi separatis imperfectionibus in DEUM transferri possint, sequitur, quòd libertas in DEO sit indifferentia non privativa aut passiva, sed actualis & activa, non in ordine ad actus, sed ad objecta, æque non contrariè, sed contradictoriè opposita. Illa enim libertas est DEO tribuenda, quæ absque imperfectione salvat formalem conceptum libertatis, sed indifferentia activa ipsius decreti liberi, in qua actus secundum Divinæ libertatis consistit, salvat essentialem conceptum libertatis: ergo indifferentia activa ad objecta contradictoriè opposita salvat libertatem DEI. Quod ipsum indicat S. D.

tum hic a. 3. ad 5. tum q. 23. de ver. a. 1. ad 8. dicens: *DEO non competit ad opposita se habere, quantum ad ea, quæ sunt in essentia ejus, sed ad opposita se habere, quantum ad effectus in creaturis, quos potest facere, & non facere.* Ex quo ad propositam quaestionem datur.

## §. II.

## Resolutio difficultatis.

**CONCLUSIO.** *Libertas Divina adæquatè consistit in ipsa entitate divina volitionis subiective necessaria & immutabili; active ramen & obiective indifferenti propter non necessariam & independentem connotationem sui actus ad objecta volita.* Ita celeberrimos Thomistæ. Nazar. Jo. à S. Th. Magnif. Stadlmair, &c. Videtur esse mens S. D. locis antè citatis & in primo cont. gent. c. 82. ubi, *voluntas*, inquit, *uno & eodem actu vult se & alia à se, sed habitudo ejus ad se est necessaria & naturalis; habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quandam non quidem necessaria & naturalis, neque violenta aut innaturalis, sed voluntaria.*

Probat. Actus liber secundum formalem rationem libertatis est necessariò DEO adæquatè intrinsecus, quia est perfectio simpliciter simplex, Divina, intrinseca DEO & DEUS ipse: ergo vel est intrinsecus secundum indifferentiam subiectivam, h. e. quatenus ipse actus, v. g. voluntas & decretum creandi mundum poterat non esse, vel obiectivà, activà & terminativam, h. e. quatenus æterna DEI voluntas in se immutata perseverans æquè ab æterno potuisset se determinare ad mundum in suo nihilo relinquendum, & sic esset nolitio ipsius; quàm ad ipsum è nihilo extrahendum, & sic esset volitio ipsius. atqui actus liber non potest esse liber indifferentià subiectivà, aliàs aliquid Divinum potuisset non esse, & DEUS esset mutabilis, ens contingens &c. ergo tantum potest esse indifferens indifferentia activà, obiectivà, & terminativà; in quantum idem motivum Divinæ bonitatis, quod propter necessariam connexionem cum Divinis perfectionibus, & adæquationem cum Divina voluntate, est ratio, ut Divina voluntas etiam obiectivà & terminativà necessitate amet suas Divinas perfectiones: idem, inquam, motivum Divinæ voluntatis, quatenus cum objectis materialibus & secundariis creaturarum habet contingentem connexionem, & infinitum excessum super illas, est ratio, ut Divina voluntas circa illa sit activè, obiectivè & terminativè indifferens, sibi quæ ipsi ex infinitorum possibilium cumulo objecta determinet, vel acceptando, ut faciat volita, vel respicendo, ut faciat nolita. Ubi idem simplicissimus actus absque ulla diversitate perfectionis, & solà diversitate volitorum & nolorum, à volitis volitio, à nolitis nolitio denominatur. Itaque libertas nil aliud virtualiter distinctum superaddit actui quàm necessario, quàm habitudinem ad bonitatem Divinam, quatenus ista habet contingentem connexionem cum objectis secundariis, in qua connexionem fundatur obiectiva indifferentia modò exposita.

Probat. secundò aliarum sententiarum induktivà refutatione. Vel enim indifferentia & contingencia essentialis actus liberi, ratione cuius per se primò distinguitur ab actu quàm necessario, dicit intrin-

intrinsicam & passivam contingentiam, quâ potuit intrinsicam perfectionem liberam volitionis abesse à DEO; vel dicit contingentiam purè extrinsicam per extrinsicam videlicet denominationem; vel dicit partim extrinsicam, partim intrinsicam; idque vel per respectum, & habitudinem rationis DEO intrinsicam; vel per intrinsicum complementum ab aliquo extrinseco. Vel tandem dicit indifferentiam intrinsicam activam, quâ, secundum quod dicit in recto, sit adæquatè DEO intrinsicam; connotet tamen, & terminetur ad aliquod objectum subjective contingens, & à se omnimodè dependens. Sed in nullo ex primis quatuor (minoris nota expositiones prætereo) salvari potest Divina libertatis contingentia juxta refutationes præmissas: Ergo constitui debet in indifferentia activa DEO adæquatè intrinsicam. In qua simul prædicata ad essentiam libertatis pertinentia reperies: nempe dominium & independentiam actûs ab objecto: terminum quoque & objectum, circa quod versatur exercitium indifferentiæ; objectum videlicet volibile & nolibile. Simul etiam ex eadem indifferentia nodum illum Gordium & rationem difficultatis initio propositam dissolves, si distinguas: actus liber ex sua essentia potest non esse vel subjective & passive, vel active & terminative, conc. tantum subjective & passive nego. Nihil Divinum potest non esse, subjective & passive conc. active & terminative, nego. Simul ergo stabunt necessitas & contingentia; necessitas, inquam, subjective, & contingentia activa, quâ actus, qui ab æterno in se fuit, & non esse non potuit, potuit tamen ab æterno velle, quod noluit, & nolle, quod voluit.

## §. III.

*Solvuntur objectiones.*

6. **O**bjicies primò. Si voluntas DEI est libera propter contingentem terminationem ad creaturas, tunc ipsa terminatio voluntatis ad creaturas potuit non esse: sed neque hoc dici potest: ergo, sequela patet: quia hoc est essentielle prædicatum libertatis, min. probatur. intrinsicam terminationem voluntatis est ens Divinum, nihil divinum potest non esse: ergo.

Resp. dist. sequela maj. tunc ipsa terminatio potuit non esse subjective, & quantum ad hoc, quod dicit in recto, nego, objective & quantum ad id, quod sibi subjicit & connotat in obliquo, concedo, & ad probationem, nihil divinum potuit non esse entitative & subjective, conc. objective nego: ergo terminatio voluntatis Divinæ non potuit non esse subjective, concedo, objective, nego consequentiam.

7. **I**nstabis. Quâ ratione aliquid est liberum, eâ ratione est indifferens & contingens: sed Divina voluntas est subjective libera: ergo etiam debet esse subjective contingens. Resp. permissâ majore, disting. min. est subjective libera, h. e. quod intrinsicè habeat libertatem, conc. quod sit libera in ordine ad subjectum sive ad se ipsam, nego: ergo est subjective contingens, h. e. quod activa & objectiva contingentia sit ipsius intrinsicam & subjective perfectio, conc. quod indiffe-

rentia & contingentia ipsi competat per ordinem ad se ipsam, nego consequentiam.

Objicies secundò. Sequitur ex nostra doctrina, quod DEUS posset velle in tempore, quod ab æterno noluit, & è converso nolle, quod voluit: sed hoc est absurdum: ergo, sequela probatur. si DEUS modò nollet, quod ab æterno voluit, tantum cesset mutatio objectiva, sive ex parte objecti, & termini voliti, non autem esset mutatio subjective; sed objectiva mutatio non repugnat in DEO: cum de facto propter mutationem creaturæ DEUS de novo denominetur creans, hypostaticè unitus, &c. -- Major probatur. Potuit ab æterno DEUS nolle illa producere, quæ voluit defectibilitate tantum objectivè, non subjective: ergo posset DEUS de facto nolle, quod ab æterno voluit defectu & mutatione solum objectivè, non subjective.

Resp. negando sequela, & ad probationem, nego maj. cum enim DEUS intrinsicè & immanentè denominetur volens, ex objecto noviter voluto arguitivè inferretur aliqua nova intrinsicam perfectio in DEO, adeoque mutatio ipsius: quod non evenit ex productione & terminatione ipsius ad extra, quippe non aliquam novam actionem immanentem, sed transeuntem & ex parte creaturæ se tenentem significante.

Ulteriore quoque rationem implicantem exponit S. D. q. 19, a. 5. *aliquis de novo dupliciter potest aliquid velle; uno modo sic, quod incipit sibi illud esse bonum, quod non est abique mutatione ejus, alio modo sic, quod de novo cognoscit illud esse sibi bonum; cum prius hoc ignorasset, ex utroque capite est impossibile DEUM de novo aliquid velle, siquidem ram substantia DEI, quam sui scientia est omnino immutabilis.* Ex quo patet disparitas ad instantiam, neque enim alia consistit determinationis intrinsicam novitas vel mutatio fuisset in DEO, tamen illud ab æterno producere noluisse, quod modò ab æterno voluit producere.

## §. IV.

*Corollaria.*

**C**olliges ex dictis primò contra Gonet: libertatem DEI non rectè constitui aut salvari in terminatione intrinsicam actûs Divini defectibilitate sub ratione intrinsicam terminationis, & sic actui quâ necessario virtualiter superaddita.

Nam primò: quidquid est intrinsicum DEO, est per essentiam DEUS ipse, adeoque ens per essentiam necessarium & indefectibile: illa terminatio ex hypothesi est DEO intrinsicam: ergo est per essentiam indefectibilis.

Inquiunt. Est indefectibilis, ut entitas est, concedo, ut terminatio est, nego. Sed contra hanc lusionem verborum est. Implicat, dicit aliquam formalitatem realem in DEO, quæ habeat prædicatum essentielle repugnans DEO: atqui ista terminatio intrinsicam esset talis formalitas: ergo implicat. min. probatur: posse deficere & non esse, est prædicatum repugnans DEO; sed ista terminatio intrinsicam quâ talis posset non esse & deficere: ergo habet prædicatum repugnans DEO. Unde, ut rectè arguit Contentonius, impli-

implicat in terminis aliquid esse defectibile & intrinsicum DEO; quia defectibilitas est prædictam potentiale conveniens enti creato & ab alio.

Secundò sequeretur, libertatem non tantum virtualiter, sed realiter distingui ab actus Divini necessitate, quod est contra Adversar. Sequelam probò. Quod est realiter separabile, est realiter distinctum; sed terminatio illa intrinseca quæ talis esset ab actu necessario quæ tali realiter separabilis, quia in quantum defectibilis, in tantum est amissibilis: sed amissibile est separabile ab illo, quod est necessarium & inamissibile: ergo illa intrinseca terminatio, quæ defectibilis realiter, etiam est realiter separabilis ab actu quæ necessarium & indefectibile.

Tertiò. Implicat etiam formalis tantum compositio in DEO, uti contra Scotistas arguit ipse Gonet: ergo etiam implicat quæcumque formalis tantum defectibilitas, amissibilis: quia sicut formalis compositio arguit potentialitatem & defectum; sic etiam formalis defectibilitas.

Colliges secundò. Divinam voluntatem non posse per suspensionem ab omni decreto, & merè negativè aliquid liberè non velle. Nam quidquid sit de illa questione: utrum detur libertatem exercitium voluntatis create sine omni actu ipsius. Ratio est primò, quòd Divinum decretum positivè terminari ad cuiuslibet rei esse, vel non esse, nihil aliud est, quàm cuiuslibet rei esse, vel non esse dependere ab actualissima voluntate DEI: sed dependet: ergo. minor constat: quia, quæ sunt, ideo sunt, quia DEUS voluit; quæ verò non sunt, ideo non sunt, quia DEUS noluit illa producere, & ante omne decretum DEI nihil est futurum, vel non futurum: sed tota radix futuritionis, vel non futuritionis est ipsum decretum, prout suprà dictum de rerum futuritione. Major etiam est clara, quia decretum DEI nihil est aliud, quàm Divina voluntas in actu secundo infinite perfecta.

Ratio est secundò. Illa libertas est in DEO ponenda, quæ est perfectissima & actualissima;

sed libertas per modum actus & exercitii phisici est multò perfectior, quàm quæ est per modum puræ omissionis, & exercitii tantum moralis & interpretativi: ergo. adde; quod voluntas suspensa ab actu est in potentia ad actum, quod de DEO dici nequit.

Dices primò. Terminatio ad objecta creata nullam dicit perfectionem in DEO; ergo voluntas Divina potuit liberè non terminari ad objecta creata.

Resp. non dicit explicitè & formaliter perfectionem, concedo, non dicit implicitè & arguitivè, nego. provenit quippe ex infinita actualitate Divinæ voluntatis, & dependentia omnis esse & non esse ab ipsa.

Dices secundò. Potuit omnipotentia & misericordia DEI, &c. manere suspensa ab omni exercitio creandi, miserendi, &c. ergo similiter libera voluntas DEI potuit liberè manere suspensa ab omni exercitio volendi.

Resp. disparitatem esse, quòd exercitia omnipotentia, misericordia, &c. dicant actionem transeuntem, quæ secundum illud creatum, quod dicit extra DEUM, sine imperfectione abesse potest, exercitium verò volendi & nolendi dicit actum immanentem, positivam, & actualissimam voluntatem DEI, quæ utique abesse à DEO non potest.

Dices tertiò. Non requiritur positivus influxus Divinæ omnipotentia ad annihilationem rei; ergo nec requiritur positivum decretum ad non futuritionem ipsius.

Resp. nego paritatem; quia si DEUS per subtractionem sui concursus & influxus positivi rem quamvis ab esse reducat ad non esse, illa non subtrahitur, sed subijcitur actualissima suæ voluntatis dominio: si autem rerum non futuritionem non haberet decretum positivum DEI, non esset dependens ab actuali & positiva voluntate DEI. Subtractio quoque influxus non dicit negationem ex parte DEI, sed effectus & actionis create: econtrà suspensio voluntatis diceret negationem suæ actualissimæ voluntatis ex parte ipsius DEI.

## DISPUTATIO XVII.

DE

### Efficacia Divinæ voluntatis.

SE hæc controversia celeberrima, summis partium studiis agitata, & cum iis, quæ adversus scientiam mediam præmissimus, necessariò connexa. An videlicet dentur in DEO eiusmodi decreta, quæ antecedenter ad omnem determinationem humanæ voluntatis sive absolute, sive conditionatè prævisam habeant intrinsecam efficaciam, & causalitatem infallibiliter influxivam sine dependentia ab aliquo extrinseco in operationes nostræ voluntatis, in tempore à nobis liberè eliciendas, quæ decreta vocamus prædefinientia, & prædeterminantia; an verò prout (ex opposito docent scientiæ mediæ sectatores) solum sint admittenda decreta cum causa secunda concurrenti, ex suppositione liberæ determinationis per scientiam mediam antecedenter prævisæ: vel, ut vocant, decreta indifferentia, h. e. offerentia concurrentum indifferentem humanæ vo-